

nores haberi volumus pro sufficienter expressis, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile esset earumdem praesentium notitiam ad singulos Notarios, aliasque personas Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum hujusmodi pervenire, & ubique illas affigi, vel intimari, etiam motu, & scientia similibus volumus, & decernimus, quod illarum transumptis, etiam per impressionem factis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dictae Ecclesiae, aut alicujus Praelati, vel personae in dignitate ecclesiastica constituta sigillatis, ea prorsus fides indubia in iudicio, & extra, ac alias ubilibet adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Martii 1628. Pontificatus nostri Anno III.

Easque confirmavit Clemens Papa Octavus.

Iterum approbat Urbanus.

Obstantium derogatio.

Dat. 17. Novembris Anno III.

Re Regis in Secretis Brevis.

Super subsidio duodecim millionum ab Incolis Regni Castellae Regi Catholico persolvendo.

Carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Carissime in Christo fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Philippi IV. Regis Regis Ap. Sedem merita.

Orthodoxae fidei conservandae zelus, ac singularis in nos, & Apostolicam Sedem devotio, aliaque Catholici cogno-

mine optimo jure insigniti Regis praclarata merita, quae in maiestate tua caelesti gratia resplendent, plane exigunt, ut subsidia pro ejusdem fidei defensione a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, adjuvemus.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, subditi regnorum tuae Coronae Castellae in novissimis Comitibus sive curiis habitis animadvertentes, maiestatem tuam pro ejusdem Religionis defensione, & obedientiae erga Sanctam Romanam Ecclesiam conservatio- ne, in tuis, & exteris Ditionibus, ac Regnis gravissimis assidue sumptibus urgeri, tuaque araria pene exhausta esse, ita ut nisi aliquo eorumdem subditorum extraordinario subsidio subleveris, eosdem sumptus in tam laudabilem, Deo gratam, & Reipublicae Christianae utilem causam convertendos, diutius ferre difficile possis, quaedam superadditionalia nuncupata servitia, sive subsidia, quae in totum summam duodecim millionum nummorum aureorum sex annorum spatio, duorum scilicet pro quolibet anno, persolvendam conficere debeant, ex gabella Sisa nuncupata, super sale, cartha, tam impressa, quam non impressa, cujuslibet generis, necnon anchoraggio, & aliis forsitan rebus mobilibus, ac etiam stabilibus in dictis regnis vendendis, & respective consumendis imponenda, per ementes, & vendentes solvenda, praestare prompte obtulerint, omnesque laici cujuscumque gradus, status, conditionis, & praecminentiae eadem subsidia contribuere, & gabellam solvere debeant, neque ullus immunis sit aut exemptus; tuaque Maiestas nobis haec significaverit.

Incolae Regni Castellae subsidium 12. millionum aureorum sponte offerunt.

§.2. Nos promptam, & devotam eorumdem Regnorum, & subditorum tuorum in te voluntatem, qui facultates suas pro catholicae fidei defensione conferre intendunt, commendantes; quia sicut etiam accepimus, si tantummodo laici subsidia hujusmodi contribuere, & gabellam, seu sifam praedictam solverent, nimis longo tempore summa praedicta conficeretur, & laicorum facultates ad summam hujusmodi duodecim millionum, ut praefertur, conficiendam minime suppetunt, difficileque admodum est, Ecclesiasticos a laicis in gabella hujusmodi solutione fecernere, eadem subsidia per ecclesiasticas personas adjuvanda, gabellaeque, seu sifae aequaliter persolvendas, ut infra sequitur, existimavimus.

Quod ut celerius illeconsequatur.

§.3. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, omnes & singulas ecclesiasticas personas, tam seculares, quam cujusvis Ordinis etiam exempti, & Apostolicae Sedi immediate subiecti regulares, necnon Monasteria utriusque sexus, Conventus, & Collegia, ac Capitula Ecclesiarum Regnorum Castellae praedictorum, & in eisdem Regnis commoran. & consisten. ad conferendum, & contribuendum proportionabiliter, & non alias, prout laici, in dictis subsidiis mediante solu-

Indulget Urbanus ut ab Ecclesiasticis quoque praestetur.

solutione gabella, seu sifae, eorumdem subditorum causa super sale, charta cujusvis generis tam impressa, quam non impressa, in Regnis praedictis introducendis, seu confectis, vel productis, & vendendis, nec non unius pro centenario aliarum rerum mobilium, & se moventium, ac stabilium patrimonialium tantum, non autem Ecclesiarum, neque super aliis rerum speciebus, super quibus olim gabella, seu sifa decem & octo millionum nummorum similiter aureorum aliasque imposita, & per sel. rec. Paulum PP. V. praedecessorem nostrum ad Ecclesiasticos ad certum tempus extensa, & per Nos nuper prorogata reperitur, sub certis modo, & forma tunc expressis, imponenda, seu forsitan imposita, & durante tamen sexennio proximo dumtaxat, & non ultra teneri, & obligatos esse: ita tamen quod si ante sexennium hujusmodi finem praedicta summa duodecim millionum nummorum confecta fuerit, Ecclesiastici praedicti amplius contribuere, & dictam gabellam, seu sifam, ut praefertur, solvere non debeant, ac praesens gratia nulla sit eo ipso, decernimus, & declaramus.

Eosque ad id per Ordinarios locorum posse compelli.

§.4. Decernentes etiam, quod omnes, & singuli ecclesiastici praedicti solvere recusantes, opportunis juris, & facti remediis per Ordinarios locorum tantum ad solutionem hujusmodi cogantur, non autem coram Iudicibus laicis, sive exactoribus ejusdem gabella, seu sifae, neque quibuslibet aliis Iudicibus, aut ministris secularibus sub poena excommunicationis majoris, nec non aliis poenis a sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis inflictis, & comminatis, ipso facto incurrendis: a quibus praeterquam a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, etiam vigore quorumcumque privilegiorum, etiam Cruciate sanctae, nullatenus absolvi queant, conveniri nullo modo possint, seu debeant, sed a praedictis Ordinariis Ecclesiasticis tantum ad solutionem hujusmodi compelli valeant.

Qui tamen curare debent ne nimis graventur.

§.5. Quibus Ordinariis districte praecipiendo mandamus, ut divini Iudicii memores, ne ecclesiastici indebite, & plusquam laici, nec ultra continentiam nostrarum Literarum graventur, super quo eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus, omnino provideant.

Recusantes vero debent ad solutionem compelli.

§.6. Et contra eosdem ecclesiasticos recusantes, ac regulares, & exemptos, nobisque, & Apostolicae Sedi immediate subiectos ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem exequentive, quacumque appellatione remota, auctoritate nostra procedant. Volumus autem ut pecunia ex praedictis subsidiis, & gabella, seu sifa, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis percipiendi in alios usus quam Catholicae Religionis defensionis, ac bellorum contra haereticos, aliosque catholicae fidei hostes, & obedientiae erga S. R. E. conservationis, pro quibus, ut praefertur, contribuuntur, nullatenus convertantur, super quo Maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

§.7. Non obstantibus regnorum praedictorum statutis, & consuetudinibus, ac ordinibus apostolicis, etiam in quibusvis generalibus Conciliis editis, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis Regnis, personis, monasteriis, conventibus, collegiis, & aliis praedictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritan., & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda esset, illorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Cum obstantium derogatione.

§.8. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si fuerint exhibitae, vel ostensa: Quodque gabella, seu sifa unius pro centenario, bona tam stabilia, quam mobilia, & se moventia, quae ab ecclesiasticis, seu aliis personis nomine, & ad favorem, & commodum Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, vel aliorum piorum locorum, seu etiam pravia super hoc opportuna licentia in evidentem ipsarum Ecclesiarum utilitatem, vel alias quovis modo permutari, & respective acquiri contigerit, nullatenus ex quavis causa comprehendat, seu ad illa se extendat, neque exigatur, alias praesentes nulla sint eo ipso.

Transumptis danda fides.

Dat. die 23. Novembris 1625. An. III.

Dat. Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Novembris 1625. Pontificatus Nostri Anno tertio.

impetrari, aut etiam motu, & potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis Constitutionibus, & Cancellaria Apostolica regulis editis, & edendis, ac Literis Apostolicis in contrarium etiam pari motu, & consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo ante praemissa erant, validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per modernos, & pro tempore existentes tres Cardinales in ordine priores, & Camerarium, ac Clericum Italum, & Secretarium praedictos quoadcumque eligenda concessas, validasque, & efficaces, etiam quod in Camera nostra Apostolica nullo unquam tempore registrarentur, aut praesentarentur, fore, & esse.

§.19. Sicque, & non alias per quoscumque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Camera praedictae Praesidentes, & Clericos, necnon ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium, & alios Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.20. Quocirca dilectis filiis Urbis nostrae Gubernatori, & causarum Curiae dictae Camerae Apostolicae Generali Auditori, & dilecti filii nostri in eadem Urbe, ejusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis in civilibus causis Locumtenenti motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Clerici Italii, & Secretarii hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari; ac modernum, & pro tempore existentem Clericum Italum, & Secretarium hujusmodi illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eum desuper per Odoardum, & Auditores Cardinalium hujusmodi, seu quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac sententias, censuras, & poenas ipsas servata forma Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.21. Non obstantibus Gregorii secundum

do dictis Literis, aliisque praemissis; ac nostra de non tollendo Jure quaesito, aliisque Cancellaria praedictae regulis, necnon Pii Praedecessorum praedictorum sub Dat. videlicet Octavo Idus Augusti Pontificatus sui Anno sexto edita, inter alia disponente, quod omnes gratiae quaecumque Camera praedictae interesse concernentes, infra certum inibi expressum tempus, in eadem Camera praesentari, & registrari debeant, & quatenus in aliquo obstat, similis memoriae Sixti Quinti etiam Praedecessoris super institutione praedictae, & aliarum XIV. Congregationum edita, aliisque Apostolicis, & dicti Collegii Constitutionibus, & Ordinationibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu hujusmodi, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, ac in futurum concedendis, approbandis, & innovandis: Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat, etiam pari motu specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, & mandamus, contrariis quibuscumque, aut si quibusvis communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§.22. Volumus autem, quod eadem praesentes Literae, ut omnibus inotescant, ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariae Apostolicae, ac in Acie Campi Florae publicentur, & affigantur, dimissis inibi etiam copiis, quae perinde omnes ardeant, ac si personaliter unicuique intimatae fuissent.

§.23. Quodque earundem transumptis, & exemplaribus etiam impressis, ac manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio, quam extra, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

§.24. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae revocationis, cassationis, annulationis, declarationis, unionis, annexionis, incorporationis, statuti, erectionis, institutionis, inhibitionis, praeccepti, decretorum, derogationis, mandatorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Obstantium derogatio.

Praesentium faciendi publicatio.

Transumptis danda fides.

Clausulae penales.

Datum

Executores hujus Constitutionis designati.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Decimo octavo Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno III.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1626. indictione 9. die vero 30. mensis Martii Pont. Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papa VIII. anno ejus tertio, retrospectiva Litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Florae dimissis ibidem praesentibus Literis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, & deinde amotis per nos Camillum Fandarum, & Brandimartem Latinum praebiti Sanctiss. D. Papae Cursores &c.

Octavianus Spada Mag. Curs.

Sequitur Decretum Romae in Palatio Apostolico Quirinali feria 2. die 22. Junii 1626. in Consistorio secreto editum de clavibus Aetarii Sanctioris, ejusque Scriptorum, ac Portarum fidelius posthac custodiendis.

Hoc Decretum ideo hic posui, quia versatur circa Archivium Sacri Cardinalium Collegii, prout in eo legitur. Institutionem vero hujus Aetarii in Arce S. Angeli factam habes a Sixto V. Const. XLIII. Ad clavum. Tom. IV. Par. IV. fol. 206.

Exquisitis, & auditis Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium sententiis, de unanimi eorum consilio pariter, & assensu, quo fidelius, ac diligentius imposterum Claves Aetarii Sanctioris in Arce S. Angeli a fel. rec. Sixto V. instituti, custodirentur, Sanctiss. D. N. infra scriptas ordinationes declaravit, ac decrevit esse perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandas, nimirum ut:

Conficiatur liber perpetuo aservandus in Archivio sacri Collegii, in quo Secretarius ejusdem fidei faciat de consignatione Clavium pro tempore facta singulis Cardinalibus, aliisque jus ad ea habentibus, & horum unusquisque a se conscriptum Juramentum coram Secretario emittat, se subscribat, suumque signum apponat.

Cardinales, transitum facturi ad altiorem ordinem, promoveri, aut optare in Consistorio non possint, nisi prius de suorum Clavium consignatione Secretario facta consiterit, qui succedentibus Episcop. Presbyt., & Diacono praedicto modo tradet.

In casu absentiae a Curia, quae excedat quadraginta miliaria, Cardinales antequam ab Urbe discedant, evocent Secretarium, qui Claves acceptas statim deferat aliis in ordine succedentibus.

Decanus Camerae Apostolicae assignet Clerico succedenti coram duobus Clericis, & Secretario.

Thesaurarius tam Generalis, quam Secretus, eidem Secretario, qui teneatur sub bito id Suae Sanctitati significare.

Si contingat obitus aservantium Claves, idem Secretarius instet pro recuperatione apud Haereditas: & si sint in mora, addat protestationem cum Censuris coram Notario, & testibus.

Praefectus Castri S. Angeli ultra Juramentum Summo Pontifici praestari solitum pro fidei Arcis custodia, juret etiam de Aetario fideliter custodiendo in manibus ejusdem Sanctissimi D. vel S. R. E. Camerarii, juxta formam Bullae, cujus Juramenti in libro fiat mentio.

Idem vero liber quotannis in prima Congregatione Generali a Secretario in medium afferatur, ut penes quos praedicta extent Claves, facile omnibus constare possit.

Ita est Octavius Episc. Portuensis Sanctae Romanae Ecclesiae Card. Bandin. Carolus Cardinalis Madrutius.

Jo. Baptista Card. Lenius Sac. Collegii Camerarius.

Ludovicus Card. Ludovisus S. Romanae Ecclesiae Vicecancellarius.

Mauritius S. R. E. Diaconus Card. de Sabaudia.

Jo. B. Laurus Secretarius.

CLXII.

Confirmatio Decreti Congregationis Concilii, quo statuitur, ut Archidiacono Ecclesiae Vilenensis visitanti Dioecesim nomine Episcopi non debeantur, nec condonentur distributiones quotidianae.

En Regest. in Secret. Brue.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum Ecclesiae Vilenensis, quod nuper a Venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequens videlicet:

Decretum Congr. Conc. de quo in Rubrica.

Illustrissimi, & Reverendissimi D. Capitulum Vilenense supplicat Sacrae Congregationi, ut dignetur declarare: an Archidiaconus visitans Dioecesim lucratur distributiones quotidianas pro tempore, quo ob eandem visitationem abest a servitio ejus Ecclesiae Cathedralis: an vero fructus tantum Praebendae, quae est satis pinguis?

Item an Capitulum possit eidem Archidiacono, ut proponitur absenti condonare dictas distributiones, nec ne?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum respondit, lucrari fructus Praebendae, non autem distributiones quotidianas. Ad secundum: Non posse. Cosmus Cardinalis de Torres Prosper Fagnanus. Loco f. Signilli.

Quod consuetudine nuper petuit.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Capitulum praedicti plurimum cupiant decretum praesertim hujusmodi, pro firmiori illius subsistentia, inviolabilique observantia, apostolicae nostrae confirmationis robore communi.

Nos

& Monasteriorum hujusmodi statu formari, & ad dictam Curiam transmitti contingeret, postquam a Cardinalibus ipsarum nationum Protectoribus, Comprotectoribus, seu Proprotectoribus, vel iis, qui Ecclesias, & Monasteria hujusmodi in nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis Consistorio, ut moris est, proponerent, & a Cardinalibus in ordine Prioribus visi, recogniti, approbati, & subscripti forent ab ipsis Cardinalibus, seu eorum Auditoribus, & iis, ad quos spectaret, ante Cedula Consistorialis subscriptionem, seu saltem illius partibus signationem, predicto Odoardo, quando officium predictum obtineret, ejusque in illo successoribus, ad effectum illos conservandi tradi, & consignari; iidem vero Odoardus, & successores illos sic eis consignatos tanquam predicti officii processus, & scripturas bene, & fideliter conservare, & quoad fieri posset, ac humana pateretur conditio, perpetuitati providere, bonamque, fidelem, & diligentem illorum curam gerere, & ad effectum illorum, dum opus foret, facillioris perquisitionis, & reperitionis, notam, seu ut vocant, rubricellam in libro ad hunc particularem effectum retinendo facere deberent, & ad id obligati existerent, & hoc conservationis processuum onus, curam, & munus predicto officio Notariatus sic erecto inposuerit, & annexerit.

§.7. Ac eidem Odoardo, ejusque in dicto Officio successoribus, ratione laboris eis ex dicta conservatione processuum accrescentis, & pro illius salario, & mercede, juribus, & regalibus, duos Ducatos auri de Camera pro singulo processu ad dictam Curiam pro expeditione transmittendo, & eis in conservationem tradendo, & consignando, ipsi a quolibet ex promovendis ad Ecclesias, & Monasteria hujusmodi, seu Sollicitatoribus in dicta Curia tales expeditiones prosequentibus realiter, & cum effectu, & absque mora, seu dilatione aliqua persolvendos, per alias suas in forma Brevis desuper confectas literas etiam assignaverit.

§.8. Et ipsas secundo dictas literas etiam ex eo, quod interesse forsan habentes, seu habere pretendentes ad id vocati non fuissent, seu quibusvis ex causis de subreptionis, vel obreptionis vitio notari, impugnari, aut invalidari, seu ad viam, & terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, facti, gratie, vel justitie remedium impetrari, vel sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus editis, & edendis comprehendendi non posse, sed semper, uti ex titulo oneroso concessas, ab illis excipi, & quoties illas revocari, seu annullari, aut alias contrarias dispositiones emanari contingeret, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per Odoardum, & successores predictos quodcumque eligenda concessas esse, & fore;

Constitutio pariter simili mercede.

Necessaria quoque apponit clausulas.

Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cardinales predictos, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definituri debere, irritumque, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, decreverit, prout in singulis Literis predictis plenius dicitur contineri.

§.9. Novissime vero Venerabiles Fratres nostri Franciscus Maria a Monte, Dominicus Gymnasium, necnon Carolus Emmanuel Pius in ordine Priores, ac Marcus dicti Collegii Camerarius Lantes nuncupati Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae Cardinales, inhaerentes decreto alias per dictum Pium Praedecessorem, ut praefertur, facto, & illud, quatenus opus sit, innovantes, de mandato nostro libros propositionum, & actorum Consistorialium, aliasque scripturas ad praedictum Collegium, quomodolibet spectantes, ac processus omnes Ecclesiarum, & Monasteriorum in Archivio deponi debere, eosque a nemine, praeterquam ab eisdem Collegii Clerico Italo detineri, nec pro recognitione, seu admissione eorumdem processuum quicquam recipi posse, etiam statuerint.

§.10. Nos, quibus inter alia praecipue cordi est, ne aliqui novis absque necessaria, vel utili causa impositionibus praegraventur, & quorum intentio est, ut gravati subleventur, dictorum processuum conservationi non satis consultum iri, si illi penes particularem aliquam personam, qualis dictum Notariatus officium pro tempore obtinens existit, conservari debeant; & si in Archivio cum libris, actis, & aliis scripturis predictis deponantur, longe tutius illorum conservationi prospectum fore, & consequenter solutionem dictorum duorum ducatorum, quam, ut etiam accepimus, plures interesse in praemissis habentes, licet ad unum dumtaxat ducatum postmodum redactam, facere recusant, necessariam, aut utilem non esse, & in Congregatione dilectorum filiorum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super provisionibus Consistorialibus deputatorum plurima tractari, quae vere ad officium dicti Clerici Itali, qui etiam dicti Collegii Secretarius existit, pertinere dignoscuntur, ob idque officium Secretarii dictae Congregationis officio Clerici Itali, & Secretarii praedicti annectendum operae pretium esse attendentes, ac in praemissis opportune consulere volentes. Et nihilominus, quod dictum Archivium erectum reperiat notitiam, non habentes, ac singularum dicti Gregorii Praedecessoris Literarum praedictarum, aliorumque omnium, & singularum praemissorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio non ad aliquos Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, secundodictas Gregorii Pra-

Cardinales vero Processus hujusmodi ac alias Scripturas ab Italo Clerico conservandas statuunt.

Urbanus Officium Clerici Itali Officio Secretarii Sacri Collegii unit, assignationemque duorum ducatorum &c. revocavit.

Præ-

Praedecessoris praedicti Literas, quoad eam partem, quae assignationem, & solutionem dictorum duorum ducatorum concernit dumtaxat, apostolica auctoritate, tenore praesentium revocamus, cassamus, & annullamus, ac viribus, & effectu carere debere, nec aliquem ad illorum solutionem imposterum teneri decernimus, & declaramus; ac officium Secretarii dictae Congregationis, cum primum illud per cessum, aut decessum, seu quacumque aliam dimissionem moderni Secretarii Congregationis hujusmodi, aut alius quovis modo vacare contigerit, officio Clerici Itali, & Secretarii dicti Collegii cum omnibus illius oneribus, & honoribus perpetuo eisdem auctoritate, & tenore unimus, annectimus, & incorporamus.

§.11. Volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod cum primum officium Secretarii dictae Congregationis, ut praefertur, vacaverit, dilectus filius Joannes Baptista Laurus Clericus Perusinus familiaris, & continuus Commensalis noster modernus, seu tunc existens Clericus Italus, & Secretarius dicti Collegii, Officium dicti Secretarii dictae Congregationis exerceat, decreta, & acta in illa pro tempore facta describat, & in infra scripto Archivio custodienda reponat.

§.12. Necnon Archivium Sacri Cardinalium Collegii nuncupandum in Palatio nostro Vaticano sub protectione, & Suprema superintendencia trium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in ordine priorum, & dicti Sacri Collegii Camerarii pro tempore existentium, sub cura tamen, & administratione etiam moderni, & pro tempore existentis ejusdem Collegii Clerici Itali, & Secretarii, ad quod Auditores Card. proponunt, seu qui ipsorum Cardinalium iussu in sciendis, vel recognoscendis processibus assistunt, statim facta in Consistorio secreto propositione, processus hujusmodi transmittere teneantur, & in quo processus ipsi, & dicti libri propositionum, necnon actorum, & decretorum etiam super erectionibus, suppressionibus, unionibus, reparationibus, dismembrationibus, cessionibus, permutationibus, translationibus, pensionum super illorum redditibus assignationibus, praesentationibus, nominationibus, electionum, seu postulationum confirmationibus Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, necnon Monasteriorum quorumcumque in Congregatione praedicta, & aliis quomodolibet, & ubicumque emanatorum interesse Consistorii Apostolici aliquo modo concernentium, aliasque scripturae quomodolibet ad idem Collegium spectantes in perpetuum conservari, nec inde absque Cardinalium in ordine Priorum, & Camerarii praedictorum pro tempore existentium licentia aliquo modo extrahi debeant, eisdem auctoritate, & tenore etiam perpetuo erigimus, & institimus.

§.13. Utque imposterum Clericus Italus, & Secretarius praedictus pro tempore

Primumque Clericum, & Secretarium designat.

Archivium Sacri Collegii in Palatio Vaticano erigit.

Secretarium Sacri Collegii

existens amplioribus favoribus, & gratis decoretur; quod pro tempore existens Clericus Italus, & Secretarius hujusmodi ratione cura, & administrationis dicti Archivi, Romani Pontificis verus, & indubitatus, & non fictus familiaris, & continuus Commensalis, aliorumque familiarium, & continuorum Commensalium numero, & consortio adscriptus, & aggregatus eo ipso existat.

§.14. Et vestes violacei coloris ad instar nostrorum Cubiculariorum honoris nuncupatorum gestet, illisque arbitrio suo utatur.

§.15. Et in signum verae, & indubitatae, ac non fictae familiaritatis hujusmodi singulis diebus ex Palatio Apostolico ultra panem sibi ratione officii Clerici Itali, & Secretarii dari solitum, etiam panem ejusdem quantitatis, & qualitatis, prout dilectis filiis in utraque Signatura nostra Referendariis dari consuevit, habeat, etiam decernimus, & panem hujusmodi dietim sibi ex dicto Palatio dari mandamus.

§.16. Inhibentes sub indignationis nostrae, ac mille ducatorum Camerae nostrae applicandorum, aliisque trium Cardinalium in ordine priorum, & Camerarii praedictorum arbitrio imponendis poenis, Odoardo, ejusque in Officio Notariatus successoribus, ne in conservatione tam extra Urbem, quam in Urbe super praemissis fabricatorum Processuum ulterius se ingerere praesument.

§.17. Et sub eisdem poenis praecipientes tam Odoardo, quam Auditoribus praedictis nunc, & pro tempore existentibus, ceterisque omnibus, & singulis, quatenus omnes, & singulos tam in Urbe, quam extra eam fabricatos processus hujusmodi, ac decreta, & acta praedicta, quae penes eos, & eorum singulos ad praesens reperiantur, intra triduum a publicatione praesentium computandum, processus vero, qui pro tempore penes eos erunt, ante, ut praefertur, cedularum Consistorialium subscriptionem, seu saltem illarum partibus signationem, actaque, & decreta praedicta, quae ad eorum, & cujuslibet manus quoquo modo devenerint, intra octo dies tunc immediate sequentes ad Archivium praedictum transmittant, & moderno, ac pro tempore existenti Clerico Italo, & Secretario praedicto consignent, ac transmitti, & consignari faciant realiter, & cum effectu.

§.18. Ac similiter decernentes, eisdem praesentes, etiam ex eo, quod dictus Odoardus, & Auditores praedicti, ac alii interesse habentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, vel ex eo, quod illa nulla subsistente causa, vel etiam de facto processu dici possent, sive etiam processerint, aut ex alia quavis juridica, & legitima etiam necessario exprimenda causa, vel quocumque praetextu de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, & ad terminos juris reduci, aut in jus, vel contrariam revocari, seu adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impe-

Aliaque ei privilegia concedit.

Processus omnes ei praecipit consignari.

Clausula

CLX.

Ex Regest. in  
Breui. Breui.

Confirmatio Reformationis Canonico-  
Regularium Congregationis S. Salvatoris  
in Lotharingia.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

**I**N supremo Apostolatus folio, meritis licet imparibus divina dispositione praesidentes, inter multiplices pastoralis officii curas ad ea, per quae divinus cultus, & devotio, regularisque disciplinae observantia in quibuslibet Monasteriis conferuntur, majoraque in dies suscipiant incrementa, sollicitis studiis intendimus, atque his, quae propterea pie, & provide facta fuisse dicuntur, libenter cum a nobis petitur, apostolici muniminis adjicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Introductam  
in Lotharingia  
Monasteria  
reforma-  
tio.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Prior, ac Canonici regulares Congregationis S. Salvatoris in Ducatu Lotharingiae Nobis nuper exponi fecerunt, in Sancti Remigii Oppidi de Lunevilla Tullen. Diocesis, aliisque ejusdem Congregationis Monasteriis in dicto Ducatu existentibus, ad omnipotentis Dei laudem, ac illarum partium Populorum aedificationem, feliciterque Monasteriorum hujusmodi progressum reformatio, juxta illorum primitiva Instituta a Sede Apostolica approbata, introducta sit, & propterea illam, quo firmiter subsistat, exactiusque observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiti, aliasque sibi, ut infra, indulgeri summo opere desiderent.

Comprobatur.

§.2. Nos pium Prioris, & Canonico-regularium desiderium hujusmodi plurimum Domino commendantes, eorumque votis, quantum cum Domino possumus, annuere, ac illos specialibus favoribus, & gratis profsequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Reformationem in in Monasteriis hujusmodi, ut praefertur, introductam cum omnibus inde sequentibus, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam Juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Cum Indulto-  
rum concessio-  
ne.

§.3. Ac insuper Priori, & Canonice praedictis, quod divina officia juxta Ritum Romanae Ecclesiae celebrare, necnon secundum regulam, & instituta Ordinis Sancti Augustini, & praesertim quoad triumvotorum substantialium, paupertatis scilicet,

ac castitatis, & obedientiae emissionem, & observantiam, itaut quicquid proprii, & particularis habere nullatenus possint vivere, divinisque laudibus insistere; qui vero ad Christifidelium confessiones audiendas ab Ordinariis locorum idonei reperiuntur, & approbati fuerint, quod confessiones hujusmodi audire, Sacramenta Ecclesiastica ministrare, necnon verbum Dei de eorumdem Ordinariis licentia, ac cum illorum respective benedictione praedicare, juventutem in doctrina christiana, ac bonis moribus instruere, aliaque omnia, & singula, quae pro spirituali eorumdem populorum fructu, atque progressu, animarumque salute, ac reformationis hujusmodi incremento, & conservatione magis necessaria, & opportuna videbuntur, facere, statuerent, & ordinare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & indulgemus.

Clausula.

§.4. Decernentes reformationem hujusmodi in dictis Monasteriis a modernis, & pro tempore existentibus illorum Canonice, & personis firmiter, & inviolabiliter observari debere, praesentesque literas; & in eis contenta quaecumque valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac Priori, & Canonice praedictis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria  
tolluntur.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 29.  
Nov. 1625.  
An.III.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 29. Novembris 1625. Pontificatus nostri anno tertio.

CLXI.

Institutio Archivii Sacri Collegii Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in Palatio Vaticano, in quo conservari debeant Scripturae, & alia Acta ad ipsum Collegium quomodolibet pertinentia, necnon Processus super qualitatibus promovendorum ad Cathedralis Ecclesias, & Monasteria Consistorialia coram dd. Cardinalibus formati. Ac unio officii Secretariatus Congregationis Cardinalium super provisionibus consistorialibus deputatorum Officio Clerici Italj dicti Sacri Collegii Secretarii.

Adverte quod Greg. XV. creaverat, & instituerat Officium Notarii ad formandum processum, privative quoad omnes alios, coram Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, super qualitatibus promovendorum ad Ecclesias Cathedralis, & Monasteria Consistorialia. Vide in Constitut. XX. Consuevit. Tom. V. Par. IV. fol. 357. Cui postea demandavit Conservationem dictorum Processuum cum assignatione duorum ducatorum auri de Camera pro unoquoque Processu, ut in Constitut. sequenti Pridem. ut sup.

Supr. fol. 359. quam Constitutionem iste Pontif. quoad hanc partem revocat. Archivium Romanae Curiae instituit Jul. II. ut Constitut. XIX. Sicut prudens. Tom. III. Par. III. fol. 299. Archivia vero in toto Statu Ecclesiastico creavit Sixt. V. Constit. Sollicitudo. Tom. V. Par. I.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

**A**dmonet Nos cura pastoralis officii Nobis meritis licet imparibus, divina dispositione, commissi, ut ad ea libenter intendamus, per quae gratiae apostolicae, quae a Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, praesertim in Consistorio Secreto de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio pro tempore emanare dignoscuntur, ut eveniente casu persona, in cujus favorem sunt, sciant quo tendere pro illarum consequutione, sub bona, & fidei custodia perpetuo praeserventur, & ut id facilius subsequi possit, quandoque nova loca, & officia, quae pro gratiarum hujusmodi conservatione necessaria esse conspicimus, de novo erigimus, & institimus, ac illorum curam viris fide, doctrina, ac morum integritate conspicuis, qui circa hoc exactam diligentiam adhiberi sperantur, committimus, & mandamus, ac alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Tempore  
Leonis Deci-  
mi Cardina-  
les Consti-  
tutiones effor-  
marunt.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum tunc existentes Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tempore videlicet Pontificatus felicis recordationis Leonis Papae X. Praedecessoris nostri, officio duorum Clericorum Sacri illorum Collegii, quod per multos annos antea magno ipsius Collegii incommodo fuerat venale, communi ab eis redempto impensa, & in pristinum suum statum redacto, veteres ejusdem Collegii Constitutiones nova quadam forma, & modo instaurari fecerint primo.

Sub Paul. III.  
duos Clericos  
deputandos  
se decreverunt  
pro scrip-  
tis cultor-  
andis.

§.2. Et successive sedente pia memoriae Paulo III. etiam Praedecessore nostro, cum Constitutionum, ut praefertur, instauratarum partem raro observatam, partem vero antiquatam, & neglectam animadvertissent, de communi omnium consensu, ac deliberatione, praedicto Paulo Praedecessore id etiam approbante, ex dictis Constitutionibus nonnullis rejectis, aliquibus relictis, aliisve adjunctis, ac aliqua ex parte aliis immutatis, inter alia voluerint, & constituerint, inter ceteros ipsius Collegii Ministros debere duos Clericos per sabarium suffragia creare, quorum alter ex Italia, & alter Exterus esset, & hic quidem ad annum dumtaxat, ille vero ad beneplacitum, cujus etiam cura libri omnes, & scripturae ad praefatum Collegium pertinentes conficerentur, & duplicarentur, & originalibus in Archivio, quod in Palatio Apostolico Romae. Tom. V. Par. V.

stolico designandum erat, ad perpetuam rei memoriam repositis, duplicati ad usum quotidianum penes ipsum Clericum Italum remanerent, ac recolendae memoriae Pius Papa Quartus similiter Praedecessor sub die sexta Septembris Anni Domini millesimi quingentesimi sexagesimi quarti libros propositionum, & actorum Consistorialium, aliasque scripturas praedictas in eodem Archivio, quod tunc jam erat designatum, deponi decreverit.

Gregor. XV.  
officium No-  
tariatus Pro-  
cessuum super  
qualitatibus  
promovendo-  
rum ad Eccle-  
sias, & Mona-  
steria Consis-  
torialia in-  
stituit.

§.3. Et similis memoriae Gregorius Papa Decimusquintus pariter Praedecessor noster, cum in formandis, & instruendis processibus, qui super qualitatibus promovendorum per Romanum Pontificem pro tempore existentem ad Ecclesiarum Cathedralium Pastorum solatio desitutaram, ac Monasteriorum Consistorialium pro tempore vacantium regimina, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi statu in Romana Curia coram eisdem Cardinalibus formari, & institui consueverunt, nullus certus tenens destinatus, seu deputatus fuisset Notarius, sed ad id muneris Notarii plerumque parum periti adhiberentur, unum perpetuum Notariatus officium ad instar aliorum Romanae Curiae officiorum vacabile, cujus concessio, & omnimoda alia dispositio, quoties illud per obitum, resignationem, privationem, aut alias quovis modo vacare contingeret, ad Romanum Pontificem pro tempore existentem spectaret, pro uno Notario, qui privative quoad alios quoscumque, in formandis, & instruendis processibus praedictis, quos coram dictis Cardinalibus, sive eorum Auditoribus formari, & instrui deinceps perpetuis futuris temporibus contingeret, ipsis Cardinalibus, seu Auditoribus assistere, ac testium dicta, & depositiones in scriptis per se, vel substitutum idoneum redigere teneretur, & deberet, exererit, & instituerit.

Constitutio  
Notario sala-  
rium.

§.4. Illique sic erecto, & instituto pro ejus congrua dote omnia, & singula emolumenta, regalia, & jura per alios Notarios, qui antea in formandis hujusmodi processibus eisdem Cardinalibus, seu Auditoribus assisterant, ac dicta, & depositiones praedicta in scriptis redegerant, percipi solita, & consueva, eis propterea debita perpetuo applicaverit, & appropriaverit.

Illique Pro-  
cessus omnes  
extra Curiam  
factos tradi  
jussit, ut cu-  
stodirentur.

§.5. Ac officium sic erectum dilecto filio Odoardo Tibaldesco Clerico Spoletan. Diocesis concesserit, & assignaverit per quosdam &c.

§.6. Ac deinde statuerit, quod de cetero similiter perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli Processus, quos extra dictam Curiam in Germania, Gallia, Hispania, ceterisque Christiani Orbis Regnis, Provinciis, & Regionibus super qualitatibus promovendorum ad quarumcumque Cathedralium Ecclesiarum tunc, & pro tempore Pastorum solatio etiam desitutaram, & Monasteriorum Consistorialium ubivis consistentium, & quovis modo vacantium, & vacaturorum regimina, ac Ecclesiarum,

§.3. Nos Capitulum huiusmodi specialis gratia favore prosequi volentes, & sejs singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliusque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; supplicationibus Capituli huiusmodi nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinanti, decretum praesertim huiusmodi apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolica firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam Juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula.

§.4. Decernentes, praedictum decretum, necnon praesentes Literas, valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictae Ecclesiae, ejusque Capitulo huiusmodi in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.5. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet, & quomodocumque emanatis, ac respective concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda esset: illorum omnium, & singulorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes; illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. 18. Decemb. 1625.  
An. III.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Decembris 1625. Pontificatus nostri Anno III.

Erectio Montis non vacabilis Salis cum annuo reddito scutorum sex pro quolibet loco, & amplissimis privilegiis.

De Sale habes Const. XIX. Pii V. Dum ad uberes Tom. IV. Par. II. fol. 306. & Const. LXXV. Greg. XIII. Ex incumbenti, T. IV. Par. III. fol. 350. quas confirmavit, & ampliat Clement VIII. in Const. CLVIII. Frumenti, Tom. V. P. II. fol. 170.

URBANUS PAPA VIII.

Motu proprio, &c. Quamvis ab initio nostri Pontificatus inter multiplices nostri pastoralis officii curas, ea praecipue nobis cordi esset, per quam Camera nostra Apostolica ab aere alieno, quo gravata reperitur, & Populi nostrae temporali ditioni subiecti ab eis, quae sufferunt, oneribus aliquando sublevarentur, & liberarentur: Nihilominus huiusmodi nostrum propositum ob Christianorum Principum discordias, & bellorum motus nunc vigentes non solum non potuimus executioni demandare, verum etiam pro Status nostri Ecclesiastici, & Populorum praedictorum tutela, & defensione ab exercituum incurssione, & aliis imminenti periculis, novum subsidium, duorum quaternorum pro qualibet libra salis ordinarii, & extraordinarii, quod in Alma Urbe nostra, ac Civitatibus Bononiae, & Ferrariae, aliisque Civitatibus, & locis eidem ditioni nostrae mediate, & immediate subiectis venditur, per Chirographum manu nostra sub die 8. mensis Januarii proxime praeteriti subsignatum, magna cum animi nostri displicentia imponere coacti fuimus, & modo dictum aere alienum angere cogimur, & docemur, quanti referat in quae tempora quisquis incidat.

Urbanus salis vestigial in statu Ecclesiastico augetur.

Modo ad augendam pecuniam.

Montem non vacabilem su. per huiusmodi vestigialis redditibus erigitur.

§.1. Ad congerendam itaque pro ingentibus sumptibus per Nos hisce temporibus fieri necessariis aliquam notabilem pecuniarum summam, super subsidio huiusmodi sic per Nos imposito, ac aliis dictae Camerae infra dicendis introitibus, novum Montem quatuor millium septingentorum locorum non vacabilem, & resignabilem annui redditus scutorum sex monetae pro quolibet loco, ut infra, erigere deliberavimus.

§.2. Motu itaque simili, ac ex certa scientia nostra, deque apostolica potestate plenitudine, Montem non vacabilem Salis nuncupandum quatuor millium septingentorum locorum, seu portionum resignabilem, ad instar aliorum locorum Montium, & nunquam vacabilem, ad rationem scutorum centum similium pro quolibet loco, cum annuo reddito, seu fructu dictorum scutorum sex monetae pro quolibet loco futuris Montibus, & creditoribus pro tempore existentibus praedicti Montis Salis quolibet bimestri in fine pro rata hic Romae libere, & absque ulla proventus exceptione persolvendorum, incipiendo a Kalen-

Dotem constituit.

lendis praesentis mensis Julii Anno 1625. auctoritate apostolica, tenore presentium, erigimus, & instituiimus.

§.3. Et pro huiusmodi Montis sic erecti, & instituti congrua dote, & fructibus annuam summam Scutorum viginti octo millium, & ducentorum similium, videlicet scutorum decem, & septem millium trecentorum septuagintaquatuor ex dicto subsidio per Nos, ut praesertim, imposito (quod quatenus opus sit, confirmamus), reliquorum vero decem millium octingentorum vigintifex scutorum ex annuis censibus, & responsionibus Dohanarum, & Thesaurariae Patrimonii, Thesaurariae Marchiae, Postoratus Status nostri ecclesiastici, Cancellariarum, & Secretariatum dicti Status, Datii vini Bononiae, Gabella quaterni ad libram Carnis dicti Patrimonii, & Provinciae Campaniae, ac carnis suinae, & subsidii Umbriae pro illis respective ratis, quae pro alicujus debiti solutione nondum applicatae sunt, per dilectum filium Magistrum Hieronymum Vidonum Thesaurarium nostrum Generalem Depositario dicti Montis Salis assignandam, & respective per Salariam Almae Urbis, & aliorum supra expressorum praedictae Camerae Introituum Conductores pro tempore existentes libere, & absque ulla proventus exceptione, & diminutione de bimestri in bimestre anticipate pro rata iuxta mandata per dictum Thesaurarium eis facienda, persolvendam ab ipsa Camera pari motu dismembramus, & separamus: eandemque summam praedictorum annuorum scutorum viginti octo millium, & ducentorum sic dismembratam, & separatam, liberam, immunem, & exemptam ab omni, & quocumque ordinario, & extraordinario onere, ex quavis causa haecenus imposito, vel pro tempore imponendo praedicto Monti Salis applicamus, appropriamus, concedimus, & assignamus, ac ut supra persolvi mandamus; venditionemque dictorum quatuor millium septingentorum locorum dicti Montis per eundem Hieronymum Thesaurarium de mandato nostro sub die 3. praesentis mensis Julii, per acta pariter Dilecti filii Dominici Fontanae ejusdem Camerae Notarii pro pretio scutorum quatuor centum septuagintaquatuor millium ducentorum, quinquaginta monetae, Dilecto filio Marcello Sacchetto factam cum omnibus pactis, & conventionibus in illius Instrumento contentis, cujus Instrumenti tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, confirmamus, & approbamus, mandamusque Secretario ejusdem Montis, ut resignationes eorumdem locorum per dictum Thesaurarium, seu praedictum Marcellum respective faciendas, libere recipiat, & admitrat, literasque patentes ad favorem tam dicti Marcelli, quam eorum, qui ab eo dicta loca ement pro prima vice gratis ubique, & absque ipsius Secretarii, & Computariae dicti Montis Mercedis, Pietatisque Carceratorum, Abundantiae, & Collegii, gabella, seu emolumentorum solutione, quibuscumque eorum concessionibus, &

privilegiis non obstantibus; expediat. §.4. Insuper praedictum Montem Salis, & illius Montibus pro tempore existentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, statuimus, decernimus, & ordinamus, quod loca ejusdem Montis, & eorum pretium, & fructus pro quibusvis excessibus, & delictis, etiam rebellionis, prodicionis, assassinii, sacrilegii, lesae majestatis, & aliorum criminum quantumvis gravium, & enormium, non tamen in personam Romani Pontificis, aut alicujus ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus commissorum, minusque ex capite spoliatorum confiscari, incamerari, aut Fisco, seu dictae Camerae applicari, seu incorporari, minusque eorumdem locorum fructus quoquo modo, & ad instantiam cujusvis personae, etiam dictae Camerae, sequestrari possint ad instar Montis Religionum, ac omnibus, & singulis aliis privilegiis, exemptionibus, gratiis, facultatibus, & Indultis, quibus praedictus Mons Religionis, ac Fidei, Alumariarum, Subsidii triennalis, S. Bonaventurae, & alii Montes Camerales non vacabiles, & illorum Montibus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac quomodocumque in futurum utentur, & gaudebunt, etiam si notam magis specialem requirerent, quam praesentibus est expressum, praedictus Mons Salis sic erectus, & illius Montibus pariformiter uti, potiri, & gaudere possint, & debeant. Quodque Mons ipse, & illius loca redimi, seu extinguere non possint, nisi post lapsum quinque annorum a data praesentium proximiorum, & in casu extinctionis, seu redemptionis dictorum locorum post dictam quinquennium, illorum extractio fieri debeat de more, & ad instar aliorum locorum Montium: Montibus vero extracti pretium locorum extractorum ad rationem scutorum centum monetae pro quolibet loco recipere teneantur, & si neglexerint per quindecim dies post publicatam extractio nem pretia dictorum locorum extractorum ad rationem praedictam recipere, eis pro dictis locis extractis fructus amplius non currant, & dicta pretia penes Depositarium praedicti Montis riscio, & periculo, & fortuna eorumdem Montistarum sic extractorum remaneant iisdem ad eorum requisitionem consignanda.

Privilegia & exemptiones Montibus concedit.

Hunc Montem ab omnibus oneribus liberat.

§.5. Quodque respectu fructuum, & emolumentorum ad rationem praedictam dicto Monti assignatorum praedictus Mons, & illius loca nullis omnino diminutionibus, reductionibus, retentionibus, & quibusvis aliis contrariis dispositionibus, etiam praetextu urgentis necessitatis, seu etiam evidentis utilitatis Sedis, & Camerae Apostolicae, ex quavis causa cogitata, vel incogitata, & de necessitate exprimenda, durante dicto quinquennio subjaceant, vel obnoxia sint, sed ab illis semper excepta intelligantur, & cum effectu sint, nec aliquis ex ipsius Montis creditoribus, & Montibus, illorumque haeredes, & successores quicumque, seu ab eis quomodolibet causam habentes, & habituri super locis, & portionibus, &

D d d illo

illorum integris fructibus, & emolumentis prædictis quoquo modo turbari, vel impedi...

Cameram Apostolicam pro evisione obligat.

§.6. Et pro præmissorum omnium, & singulorum observatione, & manutione, ac quacumque dicti Montis sic per Nos ere...

Thefaurarij eius Camerae hujus Montis Protectorem deputat.

§.7. Et ut Mons prædictus sic per Nos erectus recte gubernetur, & regatur, eundem Hieronymum, & alios pro tempore...

Clausula.

§.8. Decernentes præsentem nostri Motus proprii cedulam, omniaque, & singula præmissa inviolabiliter, donec Mons ipse duraverit, observari, vimque, & efficaciam...

§.9. Non obstantibus præmissis, ac fel. recordationis Symmachi, Pauli II. Pauli IV. Pii IV. & aliorum Romanorum Pontificum...

Exemplis da fides.

§.10. Volumus insuper, & decernimus, quod præsentis nostri Motus proprii cedula sola signatura nostra sufficiat, etiam absque alia data, & registrata, & ubique...

Urbanus Papa VIII.

CLXIV.

Deputatio Torquati de Comitibus in Præfectum Generalem Armorum, necnon Tormentorum Bellicorum, & Militum, quos pro recuperatione fortalitorum, & aliorum locorum Vallis Tellinae Comitatus Bormii conscribi contigerit, cum facultate recipiendi Fortalitia, loca, & arma in depositum nomine Sedis Apostolicæ.

Ex Regest. in Secret. Bero.

Dilecto Filio nobili viro Torquato de Comitibus Duci Guadagnoli.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili nobilis vir salutem, & Apostolicam Benedictionem.

§.1. Singularibus tuæ in Nos, & Apostolicam Sedem fidei, & devotionis meritis, generis nobilitate conjunctis, & quam in re militari hæcenus ostendisti, virtute, solertia, & fortitudine inducimur, ut præcipua tibi militaria munera committamus, sperantes in Domino, Te in muneribus hujusmodi administrandis votis nostris cumulate responsurum.

Torquati viri, tus, relique militaris scientia.

§.2. Motu itaque proprio, & ex certa scientia.

Et committi-

scientia, ac matura deliberatione nostris. Te Dilecti filii Nobilis viri Caroli Barberini nostri secundum carnem Fratris germani totius nostræ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Militiæ Gubernatoris Generalis locumtenentem Generalem Militum, & copiarum tam equestrium, quam pedestrium, necnon tormentorum bellicorum, armorumque omnium, quæ pro Fortalitorum, sive Propugnaculorum Vallis Tellinae Comitatus Bormii, ac oppidi Chiavennæ, aliorumque locorum, quæ in fel. rec. Gregorii Papæ XV. Prædecessoris nostri, sive nostris, & Sedis Apostolicæ manibus deposita fuerunt, recuperatione conscribi, & moveri respectively contigerit, cum omnibus, & singulis præeminentiis, auctoritatibus, jurisdictionibus, facultatibus, provisionibus, emolumentis, prærogativis, juribus, honoribusque, & oneribus solitis, & consuetis ad Præfecti Generalis hujusmodi officium de jure, vel consuetudine, aut ex speciali gratia, vel alias quomodolibet spectant, & pertinenti apostolica auctoritate tenore præsentium ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum facimus, constituimus, & deputamus.

Cum facultatibus ad hoc necessariis.

§.3. Tibique, ut Propugnacula, sive fortalitia, oppida, vel loca, quæ recuperari contigerit, cum omnibus, & singulis tormentis, armis, aliisque quibuscumque munitionibus, & supellestilibus in illis existentibus, in depositum nostro, & Sedis Apostolicæ nomine, & titulo depositi recipere, in iisdemque propugnaculis, sive fortalitiis, oppidis, vel locis recuperatis tot milites præfidiarios, necnon Capitaneos, & Officiales Nobis, & Apostolicæ Sedi subditos dumtaxat, & non alteri, quot tibi pro illorum securitate, & custodia necessariis esse videbuntur, collocare, necnon Officialibus tuis, & præfidio seu præfidiis ea ordinare, præcipere, & mandare, quæ pro fideli eorundem propugnaculorum, sive fortalitorum, oppidorum, & locorum custodia necessaria erunt, & opportuna, omni vigilantia, & prudentia militari, & si opus fuerit, alios milites ex Statu nostro ecclesiastico pro præfidiariorum supplemento, sive pro subsidio conscribere, & convocare, cæteraque omnia, & singula, quæ pro disciplinæ militaris, ac propugnaculorum, sive fortalitorum, oppidorum, vel locorum hujusmodi conservatione, & custodia, ac alias in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna tibi esse videbuntur: etiam talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem, specificam, & expressam requirerent mentionem, & quæ tu facere potes, similiter facere, dicere, gerere, & exequi libere, & licite valeas, auctoritate, & tenore prædictis plenam, liberam, amplam, & absolutam facultatem, potestatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur.

Mandatum de prece.

§.4. Mandantes propterea omnibus, & singulis tam particularibus Capitaneis Equitum, & Peditum Militum, & copiarum hujusmodi, quam ipsis Equitibus, & Peditibus, cæterisque, ad quos spectat, ut te in

Præfectum Generalem hujusmodi debito cum honore juxta tenorem præsentium recipiant, & agnoscant, ac in omnibus illis, quæ pro tempore mandanda duxeris, efficaciter pareant, & obediant. Dilectis vero filiis Nostro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, ac Thefaurario, & Depositario Generalibus, ut tibi de provisionibus, stipendiis, & emolumentis prædictis suo tempore cum effectu respondeant, ac ab omnibus responderi curent, & faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Juramentum ab eo præstandum.

§.5. Volumus autem, ut de hoc Præfecti Generalis officio fideliter exercendo in manibus nostris, aut nostris, & Sedis Apostolicæ in Civitate Ferraria de latere Legati debitum præstes in forma solita juramentum.

Dat. die 14 Januarii 1626 Anno III.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 14. Januarii 1626. Pontificatus Nostri Anno III.

Sequitur Subrogatio Joannis Baptiste Nari in locum Torquati de Comitibus locumtenentis Generalis Militiarum, Armorum, & propugnaculorum Vallis Tellinae in eventum recuperationis Comitatus Bormii.

Ex Regest. in Secret. Bero.

Dilecto Filio Joanni Baptiste Naro Fratri Hospitales Sancti Joannis Hierosolymitani.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Singularibus tuæ in Nos, & Apostolicam Sedem fidei, & devotionis meritis, & quam in re militari hæcenus ostendisti, virtute, solertia, & fortitudine inducimur, ut præcipua tibi militaria munera committamus, sperantes in Domino fore, ut in muneribus hujusmodi obeundis nostræ de te expectationi cumulate respondeas.

Joan. Baptiste Nari fides, aliaque merita.

§.2. Cum itaque hodie Dilectum filium Torquatum de Comitibus Nobilem Romanum Militiarum, & copiarum tam equestrium, quam pedestrium, necnon tormentorum Bellicorum, armorumque omnium, quæ pro fortalitorum, sive propugnaculorum Vallis Tellinae Comitatus Bormii, ac oppidi Chiavennæ, aliorumque locorum, quæ in fel. rec. Gregorii Papæ XV. Prædecessoris Nostri, sive Nostri, & Sedis Apostolicæ manibus deposita fuerant, recuperatione conscribi, & moveri respectively contigerit, Locumtenentem Generalem cum facultatibus, ac sub certis modo, & forma tunc expressis apostolica auctoritate ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum fecerimus, constituerimus, & deputaverimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis exepeditis Literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Revenetur Torquati de Comitibus facta deputatio.